

venerim gratiam ante oculos tuos et nosse me dignareris. Nisi manducavero carnem tuam et biberim sanguinem tuum non habebo vitam in me. Viriliter agam et faciam. Domine Deus, mecum eris et non dimittes me, nec derelinques me. Introibo in tabernaculum tuum, adorabo in loco ubi stabunt pedes tuos. Ego autem in innocentia mea ingrediar. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria tua; cor meum et caro mea exultant in Te, Deus vive. Sitit anima mea ad Te Deus fortis, vive: quando veniam et apparebo ante faciem tuam?

III. — Propitiatio.

Iram tuam portabo quoniam peccavi tibi, donec causam meam indices et facias iudicium meum; educes me in lucem, videbo iustitiam tuam. Facti sumus ut immundus nos et cecidimus quasi folium universi et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quid respondebimus tibi? vel quid loquemur aut juste poterimus obtendere? Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum; qui autem iudicat me, tu Domine es.

Quæ stulta sunt mundi elegisti Deus, ut confundas sapientes; et infirma mundi elegisti ut confundas fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegisti, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruas: ut non gloriatur omnis caro in conspectu tuo, Domine Deus, justus es; ecce coram te sumus in delicto nostro: non enim stari potest coram te super hoc.

IV. — Petitio.

Educas panem de terra et vinum lætificet cor hominis: ut exhilarēs faciem in oleo; et panis cor hominis confirmet.

Ostende mihi gloriam tuam... Non potero videre faciem tuam, non enim videbit te homo et vivet. Ecce est locus apud te et stabo super petram. Cum transibit gloria tua, ponas me in foramine petræ et protegas dextera tua, donec transeas.

Cibes me pane vitæ et intellectus et aqua sapientiæ salutaris potes me; contineas me apud proximos meos et